

---

† Fr. I. Philippus (Michaël Buchner), 1867-1950

(Prov. Germ. Sup.)

In pago Unterglaim, dioecesis Ratisbonensis, Fr. Philippus 21 IX 1867 in lucem editus est, patre fabro ferrario Udalrico Buchner, matre Francisca Radspieler. In baptismo S. Michaëlem patronum recepit. Didicit patris artem mechanicam, sed agros quoque colebat.

Kalendis Maiis 1889 intravit in collegium Gars, ubi tirocinii Magistrum habuit P. Ioannem B. Frankenberger, in superiore necrologo iam nominatum, magnae virtutis virum. Simili sanctitatis fama gaudebat, qui tunc magno collegio Rector praeverat, P. Udalricus Klarmann. Eius conferentiam quondam de psalmo *Miserere* coram communitate habitam Fr. Philippus per totam vitam recordabatur.

In religione Fr. Philippus praecepue addicebatur agriculturae et horticulturae. Votis 23 V 1895 emissis, iam Octobri mense eiusdem anni cum P. Valentino von Riedl, aliquot clericis et septem Fratribus in Brasiliam profectus est ibique undecim annos transegit, partim in Campinhinhas (Goyaz), partim Apparecidae.

A. 1906 debuit infirmum confratrem comitari in suo itinere Europaeo, postea in Novum Mundum redditurus; sed Provincia matrix Fratrem optimum non iam dimisit. Fr. Philippus annis 1906-09 adscriptus erat domui Gars, 1909-14 domui Heldenstein, postea suppressae, tempore primi magni belli iterum collegio Gars, usque ad Maium 1922 domui Niederachdorf et per paucos menses domui Halbmeile, inde usque ad mortem collegio Montis Venusti (*Schönenberg*) supra Ellwangen, Württemberg. Quam carum erat hoc Sanctuarium pio Fratri, qui in deliciis habebat magnis parvisque exercitiis in Deiparae honorem pro viribus interesse et genuina sua pietate aliis aedificationi erat! Episcopus Auxiliaris Rottenburgensis Eximus Franc.

Ios. Fischer, quoties veniebat — et fere omni anno id accidit — volebat semper Fr. Philippum in sacrificio Missae offerendo ministrum habere. Bene etiam huius humilis Fratris laici pretium cognoverat ille iuvenis, qui dixit: « Volo fieri sodalis a SS. Redemptore, et talis quidem, qualis est Fr. Philippus! ».

Hic diu optima valetudine frui poterat. Primus morbus, pleurites gravissima, eum senem 79 annorum corripuit, sed brevissimo tempore ab eo superata est, ita ut medicus miraretur. Ultimo tamen anno bonus confrater videt vires suas paulatim plane consumptas et sese lecto affixum, neque id ullo modo aegre ferebat; cupiebat quippe dissolvi et esse cum Christo, et ad magnum in aeternitatem transitum fere iugi oratione se parabat. Postquam omnia morientium sacramenta et auxilia cum certa sollemnitate recepit, in osculo Domini obdormivit sabbato 7 Ianuarii h. a. vix incepito.

Eodem die corpus eius positum est in arca sepulcrali nivei coloris et ad templum B. M. V. portatum, in quo toties Sacro adstiterat et oraverat. Populus, cui bonus Frater adeo notus erat, Dominica pro eo multum oravit et fer. III numerosus eius sepulturae adfuit. Est primus sodalis Instituti in Monte Venusto sepultus. Intervenire non poterant Fr. Philippi duo sorores, ipsae quoque nunc aetate provectae, quae nomen dederunt Instituto B. M. V., vulgo *Englische Fräulein*. Eius frater iunior Mertinus, in nostra Congregatione vota professus ut Fr. Laurentius et iam a. 1923 in Forchheim defunctus, fratrem maiorem in Paradisum intrantem festive excepisse iure creditur. Uterque sua apud Deum intercessione obtineat Congregationi nostrae multos, immo plurimos Fratres coadiutores sui similes.